

SCRIPTA

Numéro Scripta : 6315

Auteur(s) : Guy Ier du Merle, Lisieux (évêque)

Bénéficiaire(s) : Philippe IV le Bel, France (roi)

Genre d'acte : lettre

Authenticité : non suspect

Datation : 1283, 23 juin

Lieu d'émission : Lisieux

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Lettre de Guy [du Merle], évêque de Lisieux, à Philippe [IV le Bel], roi de France, le priant de venir en aide à l'abbaye [Saint-Pierre] de Préaux, victime d'un ouragan et d'une inondation.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Rouet Dominique, *Le cartulaire de l'abbaye bénédictine de Saint-Pierre-de-Préaux (1034-1227)*, Paris, Éditions du CTHS (Collection de documents inédits sur l'Histoire de France, section d'Histoire et de Philologie des civilisations médiévales ; série in-8°, 34), 2005, annexe II, p. 475-476.

Texte établi d'après a

Excellentissimo domino suo, domino dilectissimo Philippo, Dei gratia Francorum regi, illustris, suos monitionibus J. ejusdem permissione, Lexoviensis ecclesie minister humilis, salutem in eo qui dat regnare regibus et salutem. His eo clementius compati censuerunt antiquitas et ratio quo, illius qui prius nubilum dat serenum occulto iudicio, casibus, qui non possunt hominum iudicio previderi, miserabilibus affliguntur sane, etsi cito mense junio tempestatum genesa validarum, temporibus intemporaliter procedentibus, austro et euro rebellantibus aquiloni, segetes et vineas crebro et pluries profligarint dampnose. Verum tamen, inaudito casu flabelli aeris intemporie dissoluta nubes pregnans aquosa descendit, vento turbinis procellose subacta, super monasterium de Pratellis nostre diocesis cujus ventre repente prurupto necdum imbres, necdum pluvias sed et flumen edidit aterrimum viginti cubitorum vel circiter in profundum. Ex cujus impetu vehementissimo, quod non sine grandissima cordis amaritudine referimus, ruptis muris omnibus et clausuris monasterii memorati, aquis usque ad ejus pallia redundantibus, subjuguntur homines et pecudes, quibus vitam ulterius interdixit, reliquie, privilegia, cartule fondatorum, libri, vasa, calices, ornamenta, dampno irreparabili, vina, blada, capsule diruuntur, edificia ruinore atque ejus effluxio perinundens antra sub horrendo fetore ubilibet latebrosa reliquit. Nec illi contenta finibus post multorum afflictionum angustias monachorum villam quasi funditus extirpavit. Que omnia sunt apud nos adeo notoria quod non possint celari. Quis ergo posset suspiria retinere ? Quis hominum lamentari resciret ? Quis cum monachis non lugeret et vix habentibus illa nocte, ubi possent capita reclinare. Quo circa vestre regie celsitudini supplicandum duximus ex affectu quo possimus ampliori ut eis in infortunio talis domus quam solum ut totius religionis speculum et exemplar florere que hactenus hospitalitatis prerogativa vigit, velit vestra mansuetudo regia condescendere qui non habent alias refugium quod felicitatis recordationis et inclite pater vester et alii vestri progenitores muneribus honorarunt et honoribus munerantur compassionis quesimus viscera misericorditer aperire velitis et eorum miserorum misereri regale subsidium largientes. Valeat et vigeat vestra regia majestas feliciter et

notive per tempora longiora. Datum Lexovii, in vigilia Nativitatis beati Johannis Baptiste, anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo tertio.